

cui adiungitur. Sed duplex est Christi nativitas. Ergo secundum eas debet dici bis natus.

Solutio I. Respondeo dicendum, ad primam quaestionem, quod Christus processit a Patre aeternaliter, et a matre temporaliter; et utraque processio habet rationem nativitatis. Secundum enim processionem aeternam Filius est de substantia Patris, et exit ab eo in personam distinctam; et tamen est conjunctus Patri propter indivisionem substantiae, quia Verbum apud Deum est; unde patet quod salvantur suo modo tria illa quae dicebantur supra, art. 1, esse de ratione nativitatis; et propter hoc dicitur oriri, et gigni, et nasci. Sed processio ejus temporalis, qua procedit a matre, habet nativitatis rationem, sicut cujuslibet alterius qui ex sua matre nascitur. Unde sicut duae sunt ejus processiones, ut dictum est, in 1 libro, dist. 14, qu. 1, art. 2, ita etiam sunt duae nativitates.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis nasci sit personae, est tamen ejus ratione naturae; unde secundum duas naturas quas per generationem accepit, habet duas nativitates.

Ad secundum dicendum, quod quamvis in Christo sit unum esse, tamen secundum illud habet respectum ad duas naturas, ut supra, dist. 6, qu. 2, art. 2, dictum est: et ita nativitas est duplex secundum duplicem respectum qui acquiritur personae ad duas naturas acceptas per generationem.

Ad tertium dicendum, quod quamvis non sit una ratio per univocationem aeternae et temporalis nativitatis, est tamen una per analogiam.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod *bis*, cum sit adverbium, ponit numerum circa actum. Cum autem motus et actus numerentur tripliciter: scilicet ex subjecto, quia est alius et alius agens; et ex terminis, quia est aliud et aliud quod agitur; et ex mensura actus, quia nunc et tunc agit: hoc adverbium *bis* non importat numerum, nisi qui causatur ex diversa mensura; unde non dicitur *bis* lectum esse, si duo legant, nec si duo libri simul legantur; sed quando diversis horis legitur. Quia autem in his quae aguntur in tempore non est alia mensura nisi tempus, et hoc non est aliud et aliud, nisi quando discontinuatur; ideo *bis* dicitur factum esse, quando aliquid cum interruptione factum est. Aeternitas autem et tempus sunt diversae mensurae secundum diversam naturam, et non per discontinuationem; unde quod fit in aeternitate et tempore, potest dici *bis* factum esse; quamvis id quod aeternum est, non interrumpatur nec cesset.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis humana natura adveniat Filio Dei post esse completum, tamen Filius Dei totus subsistit in utraque natura: non autem ita est de toto homine ad capillum; et ideo ratio non procedit.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de his quae aguntur in tempore.

Et similiter ad tertium; et ideo non sunt ad propositum.

ARTICULUS V.

Utrum in Christo sint duae filiationes.

(5 p., qu. 2, art. 3; et quod. 9, qu. 2, art. 3.)

Ad quintum sic proceditur. 1. Videtur, quod in Christo sint duae filiationes. Multiplicata enim

causa, multiplicatur effectus. Sed nativitas est causa filiationis. Ergo cum in Christo sint duae nativitates, erunt in ipso duae filiationes.

2. Praeterea, relativa sunt quorum esse est ad aliud se habere. Sed esse filiationis aeternae non est ad matrem Christi se habere. Ergo per eam non refertur ad matrem. Sed aliqua filiatione refertur ad matrem. Ergo in Christo sunt duae filiationes.

3. Praeterea, relativa posita se ponunt, et interempta, se interimunt. Sed maternitate interempta a Virgine, non interimitur filiatione aeterna. Ergo oportet ponere aliam filiationem, quae ponatur posita maternitate, et interimatur ea remota.

4. Praeterea, motus diversificatur per terminos. Sed sicut motus habet speciem a terminis, ita relatio. Ergo cum Christus sit filius Patris et matris, oportet quod alia filiatione ad utrumque referatur.

5. Praeterea, Philosophus (in 3 Metaph., text. 20) probat, quod scientia non refertur ad scientem: quia cum referatur ad scibile, et hoc sit sum esse in quantum ad aliquid est, oporteret, si diceretur ad scientem, quod haberet duplex esse. Si ergo filiatione refertur Christus ad Patrem et matrem, oportet quod sint duae filiationes secundum esse.

6. Praeterea, sicut supra, dist. 1, Magister dixit, Pater posset carnem assumere. Sed si de Virgine carnem assumpsisset, Filius Virginis diceretur. Non autem referretur ad Virginem filiatione aeterna, quia eam non habet. Ergo filiatione temporali, ergo eadem ratione oportet in Christo ponere filiationem temporalem.

Sed contra, filiatio est proprietas personalis. Sed in Christo est tantum una persona. Ergo tantum una filiatio.

Praeterea, sicut Christus est Filius Patris et matris, ita quilibet alius homo. Sed non alia filiatione refertur homo ad patrem et matrem. Ergo nec in Christo sunt duae filiationes.

Praeterea, duo accidentia ejusdem rationis non possunt esse in eodem subjecto: unde eadem paternitate homo refertur ad multos filios. Sed suppositum filiationis in Christo est unum tantum. Ergo in eo non possunt esse plures filiationes, sed una tantum.

Praeterea, quodlibet continuum est majus omnibus suis partibus. Sed in quolibet continuo sunt infinitae partes in potentia. Ergo ad hoc quod aliquid referatur ad diversa per diversas relationes, oportet quod sint infinitae relationes in aliquo continuo, quod est inconveniens; et iterum quod in quolibet continuo sint totae aequalitates quot rebus aequale est.

Solutio. Respondeo dicendum, quod, sicut in 1 lib. dist. 26, qu. 2, art. 2, dictum est, relatio non habet ex hoc quod ad alterum dicitur, quod sit aliquid in rerum natura; sed hoc habet ex eo quod relationem causat, quod est in re quae ad alterum dicitur. Et quia ex eo res habet unitatem et multitudinem ex quo habet esse; ideo secundum id in quo relatio fundatur, iudicandum de ea est, utrum sit secundum rem una, vel plures. Sunt ergo quaedam relationes quae fundantur super quantitatem, sicut aequalitas, quae fundatur super unum in quantitate; et cum unitas quantitatis non sit nisi una in re una, inde est quod per unam aequalitatem est res aequalis omnibus quibus dicitur

aequalis. Aliae vero relationes fundantur super actionem et passionem: et in istis considerandum est, quod una passio respondet duabus actionibus, quando neutrum agens sufficit per se ad actionem complendam, sicut est in eo qui una nativitate nascitur ex patre et matre; unde in patre et matre sunt duae relationes secundum rem, sicut et duae actiones; sed in nato est una relatio secundum rem, secundum quam refertur ad patrem et ad matrem, sicut et passio una. Item considerandum est quod quaedam relationes non innascuntur ex actionibus secundum quod sunt in actu, sed magis secundum quod fuerunt; sicut aliquis dicitur pater postquam ex actione est effectus consecutus; et tales relationes fundantur super id quod in agente ex actione relinquatur, sive sit dispositio, sive habitus, sive aliquid jus aut potestas, vel quidquid aliud est hujusmodi. Sed quia hoc quod relinquatur ex actionibus unius speciei, non potest esse nisi unum; inde est quod tales relationes etiam secundum rem non multiplicentur secundum diversas actiones, sed magis sunt unum secundum id quod ex actione relinquuntur; et propter hoc non sunt diversae relationes secundum rem in patre uno qui generat plures filios, nec in magistro uno qui docet plures discipulos. Si autem sint plures actiones secundum speciem, causant etiam plures relationes specie differentes. Unde cum Christus non per unam generationem passivam se habeat ad generationem activam Patris et ad generationem activam matris, sed per aliam et aliam; et haec duae generationes non sint unius generis, nedum unius speciei: nihil (ut videtur) impediret quin in Christo possent esse duae filiationes secundum rem differentes, nisi immediatum subjectum filiationis esset suppositum; quod quidem, secundum secundam opinionem, non est nisi suppositum aeternum in Christo. Et quia ex nullo temporali advenit rei aeternae aliqua realis relatio, sed rationis tantum; ideo filiatio quae consequitur Christum ex generatione temporali, non est realis, sed rationis tantum; et tamen realiter filius est; sicut et Deus realiter Dominus ex hoc est quod creatura realiter refertur ad ipsum. Unde concedo, quod in Christo non est nisi una filiatio realis, quae refertur ad Patrem, et respectus quidam rationis quo refertur ad matrem. Tamen prima opinio, quae ponit duo supposita, posset ponere duas filiationes; nec tamen poneret duos filios masculinos, sed duo filia neutraliter, si latine diceretur.

Ad primum ergo dicendum, quod nativitas temporalis, sive generatio passiva, Christi est quaedam relatio quae secundum rem fundatur in humana natu-

ra; et ex hoc nominatur natus, sicut et homo: sed subiectum filiationis non potest esse natura, cum sit ejus quod habet complementum speciei, ut supra dictum est; et ideo duae nativitates causant duas filiationes; sed unam tantum secundum rem, et aliam secundum rationem.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus non accepit esse secundum quod dicitur actus entis (sic enim relatio non habet esse ex eo ad quod dicitur, sed ex subjecto, sicut omnia alia accidentia), sed accepit esse pro quidditate, vel ratione, quam significat definitio. Ratio autem relationis est ex respectu ad alterum. Unde ex hoc quod Filius Dei refertur ad matrem, non oportet quod habeat aliam filiationem secundum rem, sed alium respectum relationis.

Ad tertium dicendum, quod maternitas posita ponit alium respectum in Christo, et remota removel illum respectum; sed non oportet quod ponat aliam filiationem realem.

Ad quartum dicendum, quod omnium motus est aliquid secundum rem, non autem omnis relatio. Ergo quamvis ex terminis multiplicentur respectus relationis, non tamen oportet quod multiplicentur relationes secundum rem, sicut motus multiplicentur secundum rem ex diversitate terminorum.

Ad quintum dicendum, quod respectus scientiae ad scientem et ad scibile, non est unius rationis; sed respectus ejus ad scientem inest ei ex hoc quod est accidens; respectus autem ejus ad scibile inest ei ex hoc quod est scientia; unde si referretur, in quantum est scientia, ad utrumque, oportet quod essent respectus diversi secundum speciem. Sed respectus filii ad patrem et ad matrem est ad terminos unius rationis; unde non oportet quod sit diversa relatio secundum speciem, neque secundum rem.

Ad sextum dicendum, quod si Pater carnem assumpsisset de Virgine, esset filius Virginis, non quidem per aliquam realem filiationem, cujus suppositum aeternum subjectum esset, sed per respectum rationis tantum.

Expositio textus.

Hoc est Deum (1) nasci de Virgine, scilicet hominem assumere. Verum est, si humana nature dicitur homo; et si assumere dicitur ad se sumere, vel in se, quod divinae naturae non convenit.

(1) Al. enin.

DISTINCTIO IX.

De adoratione humanitatis Christi: an eadem sit adoratio humanitati et divinitati exhibenda.

Praeterea investigari oportet, utrum caro Christi et anima una eademque cum Verbo debeant adoratione adorari, illa scilicet quae latra dicitur. Si enim animae vel carni Christi exhibetur latra, quae intelligitur servitus sive cultus soli Creatori debitus; cum anima Christi vel caro creatura tantum sit, creaturae exhibetur quod soli Creatori debetur; quod facienti in idolatriam deputatur. Ideoque quibusdam videtur non illa adoratione quae latra est carni Christi vel animae esse adorandam, sed ea quae nulla est; cujus duas spe-

cies vel modos esse dicunt. Est enim cujusdam modi dulia quae creaturae cultibet exhiberi potest; et est quaedam soli humanitati exhibenda, non sibi creaturae: quia Christi humanitas super omnem creaturam est veneranda et diligenda: non tamen adeo ut cultus Divinitati debitus ei exhibeatur: qui cultus in dilectione et sacrificii exhibitione atque reverentia consistit, qui latine dicitur pietas, graece autem theosebia, id est Dei cultus, vel eusebia, id est bonus cultus (1).

(1) In textu Magistri ex his quae sequuntur, specialis instituitur paragraphus cum hoc titulo: Aliorum sententia, qui unam adorationem utrique exhibendam tradunt.

Aliis autem placet Christi humanitatem una adoratione cum Verbo esse adorandam, non propter se, sed propter illum cuius est scabellum, cui est unita. Nec ipsa humanitas sola vel nuda, sed cum Verbo cui est unita, nec propter se, sed propter illum est adoranda; nec qui hoc facit, idolatriae reus iudicari potest; quia nec soli creaturae, nec propter ipsam, sed creatori cum humanitate et in humanitate sua servit. De hoc Joannes Damascenus ita ait (de Fide orthodoxa, lib. 3, cap. 8 prope finem): « Duae sunt naturae Christi, ratione et modo differentes, unitae vero secundum hypostasim. Unus igitur Christus est Deus perfectus et homo perfectus, quem adoramus cum Patre et Spiritu sancto una adoratione cum incontaminata eius carne, non inadorabilem carnem dicentes (adoratur enim in una Verbi hypostasi quae hypostasis generata est), non creaturae venerationem (1) praebentes: non enim ut nudam carnem adoramus, sed ut unitam Deitati, in unam hypostasim Dei Verbi duabus reductis naturis. Timeo carbonem tangere, propter ligno copulatum; adoro Christi Dei mei simul utramque naturam, propter carni unitam Divinitatem: non enim quartam appono personam in Trinitate, sed unam personam inchoatorem (2) Verbi et carnis ejus. » His verbis insinuari videtur, Christi humanitatem una adoratione cum Verbo esse adorandam. De hoc etiam Augustinus ex sermone Domini, ubi dicit: « Non turbetur cor vestrum » ita dicit (serm. 37, de verb. Domini): « Dicunt haeretici, Filium non naturam esse Deum,

- (1) Nicolai addit Dei.
(2) Nicolai addit scilicet.

Divisio textus.

Postquam Magister determinavit quid conveniat naturae divinae ex unione ad humanam, hic determinat quid conveniat humanae ex unione ad divinam, quod scilicet adoratur adoratione latria. Dividitur autem haec pars in duas partes: in prima movet quaestionem; in secunda determinat eam, ibi: *Ideo quibusdam videtur non illa adoratione quae latria dicitur, carnem Christi vel animam esse adorandam.* Et haec dividitur in duas partes secundum quod duas opiniones ponit; secunda incipit ibi: *Aliis autem placet Christi humanitatem una adoratione cum Verbo esse adorandam.* Et haec dividitur in tres: in prima ponit solutionem; in secunda respondet ad objectionem factam in contrarium, ibi: *Nec qui hoc facit (1), idolatriae reus iudicari potest; in tertia confirmat solutionem, ibi: De hoc Joannes Damascenus ita ait.*

QUAESTIO I.

Hic est duplex quaestio. Primo enim quaeritur de latria. Secundo de dulia.

Circa primum quaeruntur tria: 1.º quid sit latria; 2.º cui debetur; et habito quod soli Deo, quaeritur 3.º qualiter sit ei exhibenda.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum latria sit virtus, vel donum.
(2-2, qu. 81, art. 2.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod latria non sit virtus. Omnis enim virtus in libera voluntate consistit. Sed servitus libertati opponitur. Cum ergo latria sit servitus, ut dicitur in littera, videtur quod non sit virtus.

- (1) Al. contra hoc facit.

sed creatam. Quibus respondendum est, quia si Filius non est Deus natura, sed creatura; nec colendus est omnino, nec ut Deus adorandus, dicitur Apostolo (Rom. 1, 25): Coluerunt et servierunt potius creaturae quam Creatori. Sed illi adhuc replicabunt, et dicent: Quia est quod carnis ejus, quam creaturam esse non negas, simul cum Divinitate adoras, et ei non minus quam Divinitati deservis? Ego dominicam carnem, immo perfectam in Christo humanitatem, ideo adoro, quod a Divinitate suscepta, et Deitati unita est; ut non alium et alium, sed unam eundemque Deum et hominem. Dei Filium esse confitear. Deum nique si hominem separaveris a Deo, illi nunquam credes nec servio; velut si quis purpuram vel diademata regale jaceat inveniat, nunquid ea conabitur adorare? Cum vero ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea cum Rege adorare quis contempserit. Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solum vel judam, sed Divinitati unitam, scilicet Filium unum Deum verum et hominem verum, si quis adorare contempserit, aeternaliter morietur. Item super Psalm. 98 ubi dicit: « Adorate scabellum pedum ejus quoniam sanctum est. Sciendum est, quia in Christo terra est, id est caro, quae sine impietate adoratur. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est; et de carne Mariae carnem accepit. Haec sine impietate, a Verbo Dei assumpta, adoratur a nobis: quia carnem ejus non manducat, nisi prius adoret; sed qui adorat, non terram intuetur, sed potius illum cuius scabellum est, propter quem adorat. » His auctoritatibus praemissae investigationis absolutio explicatur.

2. Praeterea, omnis virtus consistit principaliter in actu voluntatis. Sed latria consistit in actu exteriori, scilicet in exhibitione sacrificiorum. Ergo videtur quod non sit virtus.

3. Praeterea, ad latriam pertinet reverentiam Deo exhibere. Hoc autem ad donum timoris pertinet. Ergo latria est donum, et non virtus.

4. Praeterea, latria dicitur alio nomine pietas, ut habetur ex littera. Sed pietas est donum. Ergo latria non est virtus, sed donum.

Sed contra, laudabile, secundum Philosophum (1 Ethic., cap. 16), est proprium virtutis. Sed actus latriae est maxime laudabilis. Ergo latria est virtus.

Praeterea, omnis actus qui cadit in praecipio legis, est actus virtutis: quia intentio legislatoris est inducere hominem ad virtutem, ut dicitur 2 Ethic. (cap. 1). Sed actus latriae praecipitur per primum mandatum. Ergo latria est virtus.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod sit virtus generalis. Augustinus enim dicit (10 de Civ. Dei, cap. 6): *Verum sacrificium est omne opus quod geritur, ut sancta societate Deo jungamur.* Sed hujusmodi est omne opus virtutis. Ergo omne opus virtutis est verum sacrificium. Sed sacrificium Deo offerre proprie pertinet ad latriam. Ergo ad ipsam pertinent omnes actus virtutum; et sic ipsa est virtus generalis.

2. Praeterea, per omne opus virtutis Deo servitur Luc. 17, 10: *Sic et vos, cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicit: Servi inutilis sumus.* Sed latria est servitus Deo debita. Ergo omne opus virtutum pertinet ad latriam; et sic idem quod prius.

3. Praeterea, quicumque facit aliquid ad gloriam alicujus, exhibet ei reverentiam. Sed Apostolus, 1

Corinth. 10, docet omnia in gloriam Dei facere. Ergo per omnia opera virtutis recte facta exhibetur Deo reverentia. Sed reverentiam Deo exhibere pertinet ad latriam. Ergo ipsa est virtus generalis.

Sed contra, virtus generalis non praecipitur speciali legis praecipio, sed tota lege, sicut patet de justitia legali. Sed latria praecipitur speciali praecipio, scilicet per primum primae tabulae. Ergo est virtus specialis.

Praeterea, vitio speciali opponitur virtus specialis; unde Philosophus (3 Ethic., cap. 4) probat justitiam esse specialem virtutem propter hoc quod ei opponitur avaritia, quae est speciale vitium. Sed latria opponitur speciale vitium, scilicet idolatria. Ergo est specialis virtus.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod sit virtus theologica. Augustinus enim dicit in Enchir. (cap. 5): *Si quaeratur quomodo colitur Deus, respondetur. fide spe, et caritate.* Sed latria dicitur cultus Dei, ut ex littera habetur. Ergo latria est fides, spes, et caritas; quae sunt virtutes theologicae.

2. Praeterea, virtus theologica est quae habet Deum pro objecto, sicut fides qua creditur Deus; et sic de aliis. Sed latria habet Deum pro objecto, quia ea colitur. Ergo latria est virtus theologica.

3. Praeterea, omnis virtus cardinalis tenet medium inter superfluum et diminutum. Sed latria non est hujusmodi; quia Deus non potest nimis coli. Ergo latria non est virtus cardinalis, sed theologica.

Sed contra, nulla virtus theologica habet actum exteriorem. Sed latria actus est sacrificium offerre, qui est actus exterior. Ergo non est virtus theologica.

QUAESTIUNCULA IV.

Uterius. 1. Quaeritur, ad quam virtutem cardinalium reducat; et videtur quod non ad justitiam, de qua magis videtur. Justitia enim secundum quod est specialis virtus una de quatuor cardinalibus, consistit, secundum Philosophum (3 Ethic., cap. 3), in communicatione activae vitae. Sed in praesenti vita non est nobis communicatio cum Deo: unde dicitur Danielis cap. 10: *Exceptis diebus, quorum non est cum hominibus conversatio.* Ergo non potest esse species justitiae.

2. Praeterea, secundum Philosophum, 3 Ethic. (cap. 6), non est justitia proprie dicta inter dominum et servum: sicut nec alicujus ad se: quia servus quod est et quod habet, domini est: similiter nec patris ad filium, qui est quasi pars ejus. Sed nos habemus nos ad eum sicut servi ad dominum, et filii ad patrem. Ergo non est justitia nostri ad Deum; et ita latria non est pars justitiae.

3. Praeterea, justitia proprie in aequalitate consistit, sicut dicit Philosophus 3 Ethic. (ubi sup.). Sed non est possibile nos aequari Deo secundum opus nostrum. Ergo non potest esse justitia nostri ad Deum; et sic idem quod prius.

Sed contra, Tullius in Rhetorica (ad Herennianum, lib. 2), ponit religionem speciem justitiae. Sed religio, secundum quod ipse accipit, est idem quod latria: quia religio, secundum eum, est quae superiori cuidam naturae (quam divinam S. Th. Opera omnia. V. 7.

vocant) cultum caeremoniamque offert. Ergo latria est species justitiae.

Praeterea, reddere debitum, actus est justitiae. Sed latria est cultus Deo debitus; unde exhibetur Deo quod ei debetur. Ergo latria est pars justitiae.

Solutio. 1. Respondendo dicendum, ad primam quaestionem, quod quando aliquid commune in multis invenitur, si in aliquo eorum secundum specialem modum invenitur, habet etiam nomen speciale, sicut nasus curvus dicitur simus. Similiter cum obsequium diversis possit exhiberi, speciali quodam et supremo modo Deo debetur, quia in eo est suprema ratio majestatis et domini; et ideo servitium vel obsequium quod ei debetur, speciali nomine nominatur et dicitur latria. Hoc autem nomen tripliciter sumitur: quandoque enim pro eo quod Deo in obsequium exhibetur, sicut sacrificium, genuflexiones, et hujusmodi; quandoque autem pro ipsa exhibitione; quandoque vero pro habitu quo exhibetur obsequium; et primo modo latria non est virtus, sed materia virtutis; secundo modo est actus virtutis; tertio modo est virtus; et nominatur haec virtus quatuor nominibus: dicitur enim *pietas* quantum ad effectum devotionis, quod primum occurrit. Dicitur etiam *theosbia*, id est divinus cultus vel *eusebia*, id est bonus cultus, quantum ad intentionem attentam; illud enim coli dicitur cui studiose intenditur, sicut ager vel animus, vel quidquid aliud. Dicitur etiam *latria*, id est servitus, quantum ad opera quae exhibentur in recognitionem domini quod Deo competit ex jure creationis. Dicitur etiam *religio* quantum ad determinationem operum ad quae homo se obligando in cultum Dei determinat. Quibus tamen nominibus una et eadem virtus nominatur secundum diversa quae ad ipsa concurrunt.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Philosophum in principio Metaph. (cap. 2), liber est qui sui causa est; unde servus dicitur qui causa alterius est, et servitium quod causa alterius agit. Sed alterius causa agi est dupliciter: vel sicut finis, sicut servus non lucratur sibi sed domino: vel sicut moventis, sicut servus non proprio motu, sed motus sicut instrumentum domini, operatur. Servitium ergo quantum ad hoc secundum tollit libertatem voluntatis, et per consequens virtutem; sed quantum ad primum non, quia homo potest propter alterum operari quod ei debet, etiam propria voluntate; et secundum hoc latria dicitur servitium.

Ad secundum dicendum, quod quamvis virtus habeat quod sit virtus ex actu interiori, scilicet ex electione; tamen quod sit determinata virtus, habet ex actu exteriori: quia nostra electio determinatur per actum exteriorem qui elicitur, secundum quem attingit virtus proprium objectum, vel materiam, ex quo specificatur actus vel habitus; ideo virtutes quaedam habent actus exteriores, non solum interiores, sicut patet de fortitudine et justitia.

Ad tertium dicendum, quod revereri, in quantum hujusmodi, est actus timoris; sed exhibere reverentiam, in quantum est Deo debitum, est proprie latria; unde non sequitur idem esse latriam et timoris donum; sicut etiam pugnare viriliter est actus fortitudinis, in quantum hujusmodi; sed pugnare in acie Regis in quantum miles, hoc debet ei propter feudum quod tenet ab eo; et est actus justitiae.

Ad quartum dicendum, quod pietas, in quantum

est donum, consistit in quadam benevolentia supra modum humanam ad omnes: sed pietas secundum quod hic accipitur, consistit in quadam devotione ad Deum, cui latria exhibetur; et hoc infra in tractatu de donis melius patebit.

Solutio II. Ad secundam questionem dicendum, quod aliqua virtus dicitur generalis quatuor modis. Uno modo quia praedicatur de qualibet virtute, sicut iustitia legalis, quae convertitur eum virtute, et est idem subiecto, ratione differens, ut dicit Philosophus (3 Ethic., cap. 2); et sic dicitur generalis quantum ad suam essentiam. Secundo modo dicitur generalis, in quantum ab ea dependent aliae virtutes participantis eius actum; et hoc modo prudentia generalis dicitur, quia ex ea omnes aliae virtutes morales rectitudinem electionis participant, et sic actus eius immiscetur actibus omnium aliarum virtutum: nihilominus ipsa in se est specialis secundum quod habet specialem rationem objecti, scilicet eligibile ad opus. Tertio modo dicitur generalis, in quantum operatur circa actus omnium virtutum, ita quod omnes cedunt ei pro materia; sicut magnanimitas, quae operatur magna in omnibus virtutibus, ut dicitur 4 Eth. (cap. 8); et tamen in se specialis virtus est, quia rationem specialem objecti in omnibus attendit, scilicet dignum magno honore. Quarto dicitur aliqua virtus generalis, in quantum ad eam concurrunt diversae virtutes, quia scilicet actus eius praecoxigit actus multarum virtutum; sicut etiam ad magnanimitatem praecoxiguntur aliae virtutes, quia nullus potest dignificari magnis nisi virtuosus sit. Prima ergo generalitas, est quasi universalis; secunda quasi causae dantis esse; tertia quasi moventi per imperium; quarta quasitotius integralis comprehendens multis. Sic ergo dicendum est, quod latria in se considerata est specialis virtus, quia habet specialem rationem objecti et actus, scilicet ut exhibetur aliquid Deo in recognitionem servitutis, sicut feudatarius aliquid reddit domino suo in recognitionem domini (1): unde actum et objectum habet formaliter unum et specialem quantum ad praedictam rationem; quamvis materialiter sint multi actus et multa objecta. Potest autem dici generalis quantum ad duos ultimos modos. Potest enim uti actibus aliarum virtutum materialiter sub praedicta ratione proprii objecti; et iterum ad actum eius praecoxiguntur multae virtutes aliae, sicut fides quae ostendit cui exhibenda sit latria, et caritas, quae afficit ad eum cui exhibenda est; et sic possunt multae aliae concurrere. Quamvis autem utatur materialiter actibus aliarum virtutum sub praedicta ratione proprii actus, tamen utitur quibusdam actibus qui non sunt proprii alicujus alterius virtutis elicitive, sicut offerre sacrificia, facere protestationes, et huiusmodi: nisi forte sicut imperantur a caritate et ostenduntur a fide, non autem elicuntur; et isti videntur proprie actus esse latriae.

Ad primum ergo dicendum, quod offerre sacrificia est tantum de illis quae pertinent ad latriam elicitive; unde hoc quod dicitur, omne opus quo Deo jungimur, esse sacrificium, est metaphoricè dictum; in quantum Deum placabilem reddit, ad quod sacrificium offertur.

Ad secundum dicendum, quod aliud est Deo servire, et aliud exhibere aliquid in recognitionem servitutis: primum enim omnis virtutis commune

(1) *Al.* recognitione domini.

est; secundum autem proprium est latriae; unde latria includit servitium in ratione sui objecti; et propter hoc per se inest ei, et a serviendo nominatur: aliis autem virtutibus accidit, et non pertinet ad proprias rationes ipsarum.

Ad tertium dicendum, quod secundum quod actus aliarum virtutum in gloriam Dei fiunt, sic materialiter assumuntur a latria, ut dictum est.

Solutio III. Ad tertiam questionem dicendum, quod virtutes theologicae dicuntur proprie illae quae habent Deum pro objecto et fine; unde nulla virtus theologica habet actum circa rem creatam proprie loquendo: caritas enim nihil in homine diligit nisi Deum. Objectum autem circa quod agit latria est id quod reddit Deo in recognitionem servitutis, quod non est Deus; unde non est virtus theologica, sed ad cardinales reducitur.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus dicitur coli fide, spe, et caritate, non quasi cultus elicivatur his virtutibus, sed quia dicitur virtutes ordinantur ad cultum, vel etiam quia actus dietarum virtutum materialiter cedunt (1) in cultum modo praedicto.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur, colo vel adoro Deum, quamvis actus videatur transire in Deum sicut in objectum, transit tamen in rem aliam sicut in objectum, et in Deum sicut in finem: quia colere Deum est aliquid exhibere Deo in protestationem servitutis.

Ad tertium dicendum, quod superfluum et diminutum, inter quae media virtus moralis, non attenditur secundum quantitatem absolutam, sed in comparatione ad rationem rectam; ut scilicet fiat aliquid, secundum quod debet quantum ad omnes circumstantias. Unde contingit quod quantum ad aliquam circumstantiam virtus aliqua ponit in maximo, sicut magnanimitas, quae est circa maximos honores, et magnificentia, quae est circa maximos sumptus. Unde et in latria superfluum est non quod Deus colatur nimis, sed quantum ad has circumstantias; exhibere cultum latriae cui non debet cultus exhiberi, et sic est idolatria; vel quando non debet, et sic est superstitio, quae est religio supra modum observata.

Solutio IV. Ad quartam questionem dicendum, quod secundum Philosophum (3 Ethic., cap. 5), iustitia, secundum quod est specialis virtus, consistit in bonis quibus homines sibi invicem communicant in vita ista, sicut sunt pecunia, honores, et huiusmodi, secundum quod unus alteri huiusmodi communicare potest: in quibus iudex secundum legem aequalitatem constituit, ut unusquisque habeat quod sibi debetur, non plus nec minus: et in hac aequalitate consistit iustitia; unde iustitia sic accepta, ut ipse dicit, non est nisi in illis qui nati sunt regulari eadem lege, et sub eodem principe esse, et aequaliter principari. Unde secundum ipsum, talis iustitia non est domini ad servum, nec patris ad filium: quia servus et filius res eorum sunt; unde non est ius iustitia, sicut nec ad seipsum: tamen est ibi quidam modus iustitiae, secundum quod domus reddit servo quod sibi debetur, vel e converso; quod appellatur justum dominatum: et hoc modo se habet ad iustitiam latria, quia consistit in hoc quod reddit Deo quod sibi debetur; unde reducitur ad ju-

(1) *Al.* concedant.

stitiam non quasi species ad genus, sed sicut virtus annexa ad principalem, quae participat modum principalis.

Et per hoc patet responsio ad duo prima, quae secundum istam viam procedunt.

Ad tertium autem dicendum, quod praedictus modus iustitiae, qui est filii ad patrem, et hominis ad Deum, non requirit aequalitatem ut exhibeat secundum dignitatem eius cui exhibetur, sed secundum possibilitatem reddentis; unde dicit Philosophus (in 8 Ethic., cap. ult.), quod non in omnibus reddendum est quod est secundum dignitatem, quemadmodum in his qui ad deos et parentes honoribus: nullus enim secundum dignitatem alteri retribuit. Secundum potentiam autem famulus justus esse videtur.

ARTICULUS II.

Utrum humanitati Christi exhibenda sit latria.

(5 p., qu. 23, art. 2.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod humanitati Christi non sit latria exhibenda. Dicitur enim in Glossa (1) super illud Psalm. 98: *Adorate scabellum pedum eius: Caro Christi non est adoranda illa adorazione latriae quae soli Deo debetur.*

2. Praeterea, ea quae ad naturam pertinent in Christo distincta sunt. Sed reverentia non solum debetur personae, sed naturae. Cum igitur natura humana sit alia a divina, alia sibi debetur reverentia: ergo non debetur sibi latria, quae tantum Deo debetur.

3. Praeterea, sicut dictum est, latria exhibetur Deo, in quantum est ipse Dominus per creationem. Sed creare non convenit humanitati Christi. Ergo non est ei exhibenda latria.

Sed contra, *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus* (in Symb. Athanasii). Sed eadem reverentia exhibetur animae hominis et carni eius. Ergo eadem reverentia exhibenda est Filio Dei et humanitati assumptae; et sic adoranda est latria.

Praeterea, hoc idem patet per auctoritates et exempla in littera posita.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur, quod nec imaginibus Christi sit exhibendus cultus latriae. Exod. 20, 4: *Non facies tibi sculptile neque ullam similitudinem.* Ergo multo minus licet adorare imaginem Christi.

2. Praeterea, de nullo alio irridentur in Scripturis idolatrae, nisi quia opera manuum suarum adoraverunt, quibus ipsi facientes meliores erant. Sed similiter imagines quas Ecclesia adorat, sunt opera manuum hominum. Ergo videtur in similem derisionem incidere.

3. Praeterea, in cultu divino non sunt exhibenda nisi ea quae per legem Dei determinantur. Sed non invenitur in sacris Scripturis institutum

(1) Nihil tale in Glossa quae nunc extat; sed solum dicit *scabellum sanctum*, ut discernatur corpus a Deitate, quamvis una persona utrumque sit: et in Glossa morali, *humanitatem, quatenus unita est Divinitati, esse adorandam latria, sed secundum se hyperdulia* (Ex edit. P. Nicolai).

de imaginum adoratione. Ergo videtur nimis presumptuosum fuisse imaginum adorationem inducere.

Sed contra, imago, in quantum huiusmodi, ducit in imaginatum. Sed imaginatum harum imaginum quas adoramus, est Christus, qui est adorandus adoratione latriae. Ergo et imago eius.

Praeterea, Basilium dicit (1) (in sermon. contra Sabellianos et Arium), quod homo imaginis ad prototypum refertur, idest ad principalem figuram, scilicet ad imaginatum. Ergo idem honor utrique exhibendus est, et sic idem quod prius.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur, quod beatae Virgini sit latria exhibenda. Quia Damascenus dicit, quod honor matris refertur ad filium. Si ergo filius latria est adorandus, similiter et mater.

2. Praeterea, de ipsa cantatur (2): *Secumque faciet matrem participem Patris imperii*; et ab omnibus dicitur Domina mundi, et Regina Angelorum. Sed Deo exhibetur latria, in quantum est Dominus et Rex. Ergo et Virgini matri oportet latriam exhiberi.

3. Praeterea, Augustinus (3) (in lib. unico de assumptione beatae Mariae) probat quod corpus Virgini non est incineratum, quia est ejusdem naturae cum corpore filii, quod ex suo sumptum est. Ergo si corpus filii est adorandum adoratione latriae, videtur quod similiter mater.

Sed contra, beata Virgo est pura creatura. Sed latria soli Creatori debetur. Ergo ei non debetur latria.

Praeterea, ipsa adorat Deum latria. Sed non est ejusdem latriam exhibere et recipere; sicut nec creari et creare. Ergo latria non est exhibenda beatae Virgini.

QUAESTIUNCULA IV.

Uterius. 1. Videtur, quod non sit exhibenda cruce. Sicut enim secundum humanitatem passus est in cruce, ita secundum Divinitatem caelum est sedes eius. Sed caelum propter hoc non est adorandum latria. Ergo multo minus crux, cum latria debeat Christo ratione Divinitatis, non ratione humanitatis.

2. Praeterea, res inanimata indignior est homine. Sed honor latriae non est exhibendus ab homine nisi ei qui est supra hominem. Ergo crux non debet latria adorari.

3. Praeterea, majorem affinitatem habet ad Christum beata Virgo quam crux eius. Sed virgo non adoratur latria. Ergo multo minus crux.

Sed contra, reliquiae aliorum sanctorum honoranter eodem honore quo ipsi sancti. Sed crux est de reliquiis Christi. Ergo est adoranda latria sicut Christus.

Praeterea, crux est imago Christi crucifixi. Sed imago crucifixi Christi est adoranda latria. Ergo et crux.

(1) Lib. de Spiritu sancto, cap. 18, ex quo in 7 Synodo, act. 4, refertur (Ex edit. P. Nicolai).

(2) Ubi cantetur modus, vel cantatum sit olim, non occurrunt. Dominam vero mundi, vel etiam Regnam Angelorum sanctam Virginem appellari frequens est (Ex edit. P. Nicolai).

(3) Vel sub eius nomine vetus. Auctor inter eius opera, tom. 9 (Ex edit. P. Nicolai).

QUAESTIUNCULA V.

Uterius. 1. Quaeritur, utrum viris sanctis sit exhibendus honor laetiae, et videtur quod sic. Quia laetia exhibetur Deo ratione Divinitatis. Sed sancti participatione dicuntur dii. Ergo eis debet laetia exhiberi.

2. Praeterea, imago impressa divinitus est nobilior quam quae facta est humanitus. Sed imagines Dei quas homo fecit, adorantur laetia. Ergo multo fortius viri sancti, in quibus Deus suam imaginem impressit, et reformavit.

3. Praeterea, Abraham, ut legitur Gen. 18, tres viros, qui Angeli erant, ut dicit Augustinus (lib. 16 de civ. Dei, cap. 19), adoravit adoratione laetiae. Ergo videtur quod et aliis sanctis laetia exhiberi possit.

Sed contra est quod legitur Act. 14 de Paulo et Barnaba: qui prohibuerunt illos qui eis sacrificare volebant: et in Esther 15, legitur de Mardocheo quod noluit adorare Aman, ne honorem Dei videretur transferre ad homines.

QUAESTIUNCULA VI.

Uterius. 1. Videtur quod sine peccato alicui creaturae possit laetia exhiberi. Legitur enim Apoc. ult., quod Joannes voluit Angelum adorare, et prohibitus est ab eo. Non autem prohibuisset, si eum dulcia adorare voluisset, quia haec Angelis sanctis debetur. Ergo volebat eum adorare laetia; et ita hoc potest fieri sine peccato, ut videtur.

2. Praeterea, opus secundum intentionem iudicatur. Sed aliquis adorans Angelum, qui in forma Christi apparet, habet intentionem bonam, credens ipsum esse Christum. Ergo adorando non peccat.

3. Praeterea, aliquis adorat hostiam non consecratam adoratione laetiae, credens ipsam esse consecratam; et non peccat, quia ignorantia facti excusat eum; sed tamen idolatria est; quia Decretalis (extra de celebratione Missarum cap. de homine) dicit, quod sacerdos qui non consecrat, et fingit se consecrare, facit populum idolatrare. Ergo videtur quod homo possit creaturae laetiam exhibere sine peccato.

Sed contra, si aliquis hoc quod debet temporali domino in recognitionem domini, alteri exhiberet, reus esset infidelitatis apud ipsum. Ergo multo amplius peccat, si cultum Deo debitum creaturae impendat.

QUAESTIUNCULA VII.

Uterius. 1. Videtur quod si creaturae exhibeat, univoce dicatur eum ea quae exhibetur Deo. Materia enim non diversificat speciem. Sed cultus exhibitus Deo et creaturae non differt, ut videtur, nisi materialiter. Ergo non differt secundum speciem, et ita dicitur univoce.

2. Praeterea, beatitudo univoce dicitur, quamvis a quibusdam quaeratur tibi est, scilicet in Deo, a quibusdam ubi non est, scilicet in divitiis. Igitur similiter laetia dicitur univoce, sive exhibeat cui est exhibenda, sive cui non est exhibenda.

3. Praeterea, omnis cultus Deo debitus est laetia. Sed idolatria est cultus Deo debitus, idolo exhibitus. Ergo est laetia; et sic idem quod prius.

Sed contra, idem univoce sumptum non potest

esse virtus et vitium. Sed laetia quae Deo exhibetur, est virtus; quae autem creaturae, est vitium. Ergo non dicitur univoce.

Praeterea, Deus non univoce dicitur de Deo vero et idolo. Sed uterque movetur ex divinitate ejus cui laetiam exhibetur. Ergo videtur quod nec laetia univoce dicatur.

Solutio I. Respondeo dicendum, ad primam quaestionem, quod duplex est modus quod aliquid honoratur: aliquid enim honoratur ratione sui, et ratione alterius. Secundum Philosophum enim in 1 Ethic. (cap. 18) laus et honor in hoc differunt quod laus debetur alicui propter bonitatem quam habet ex ordine ad alterum, ut quando facit actum congruentem fini; honor autem debetur alicui propter bonitatem quam habet secundum se. Unde, secundum ipsum, laus debetur homini propter actus virtutum, qui ordinantur ad felicitatem; honor autem debetur Deo et divinis; unde sicut laus non debetur nisi actui, vel agenti qui est dominus actus, quasi per electionem agens; ita etiam nec honor; quamvis etiam honor ita debeat actui sicut laus, sed magis agenti. Ergo ratione sui honoratur illud cuius est per electionem agere, sed ratione alterius honoratur quod de ratione honorati est; unde parti hominis secundum se consideratae non debetur honor nisi ratione alterius. Id autem cuius est agere, persona est, vel suppositum: quia actus sunt individuorum. Unde quantum ad primam modum honoris non debetur humanitati Christi honor separatim a persona divina; sed in ipsa et eum ipsa adoratur, sicut manus cum homine; et ideo secundum hoc debetur sibi honor laetiae. Quantum autem ad secundum modum honoris, qui partibus et etiam rebus inanimatis exhibetur, debetur sibi per se reverentia et honor; et ideo non debetur sibi laetia, sed dulcia excellens, propter singularem modum dignitatis quem habet ex unione ad Verbum. Patet ergo quod honor qui honoratur aliquid ratione sui, ad humanitatem Christi non pertinet ut per se consideratam, sed solum ut honoratur uno honore eum supposito in quo est; et sic debetur ei laetia; sed honor qui debetur ei ratione alterius, pertinet ad eam etiam in se consideratam; et sic debetur ei dulcia. Et quia secundum primum modum magis proprie dicitur aliquid honorari quam secundum secundum modum; ideo magis proprie dicitur quod humanitas Christi adoretur laetia quam dulcia, et hoc secundum secundam opinionem; sed secundum primam opinionem magis proprie diceretur, quod sit adoranda dulcia, quia prima opinio ponit humanitati aliud suppositum agens praeter suppositum aeternum, cui debetur laetia.

Ad primum ergo dicendum, quod humanitas potest considerari dupliciter. Vel prout intelligitur non conjuncta Verbo; et sic non debetur sibi laetia, sed haec consideratio est in intellectu tantum. Vel prout intelligitur unita Verbo; et sic potest honorari honore uno cum Verbo, et sic debetur ei laetia; vel alio, et sic debetur ei dulcia; et sic loquitur praedicta Glossa.

Ad secundum dicendum, quod honor non debetur alicui ratione sui, nisi personae; unde ratio procedit ex falsis.

Ad tertium dicendum, quod quamvis creare non sit humanitatis Christi, est tamen personae Verbi, cum qua simul adoratur.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod imago potest dupliciter considerari, vel secundum quod est res quaedam, et sic nullus honor ei debetur (sicut nec alii lapidi vel ligno); vel secundum quod est imago. Et quia idem motus est in imaginem in quantum est imago, et in imaginatum; ideo unus honor debetur imagini et ei cuius est imago; et ideo cum Christus adoratur laetia, similiter et ejus imago.

Ad primum ergo dicendum, quod ante incarnationem Christi, cum Deus incorporeus esset, non poterat ei imago poni, sicut dicitur Isai. 40; et ideo prohibitum est in veteri lege ne imagines fierent ad adorandum; et praecipue quia prout erant ad idolatriam ex hoc quod totus mundus idolatriae insistebat. Sed postquam Deus factus est homo, potest habere imaginem, cum habeat ratione humanitatis assumptae, quae simul cum coadoratur, figuram corporalem; et ideo permissum est in nova lege imagines fieri.

Ad secundum dicendum, quod idolatrae credent in ipsis imaginibus aliquid numen esse, quod ex vi syllabarum ipsis imaginibus acquireretur, sub quibus fiebant imagines; sicut Hermes dixit, quod datum hominibus erat facere deos, ut Augustinus narrat (in lib. 8, cap. 25), de civ. Dei. Unde deserviebant imaginibus non solum ut imaginibus, sed ut rebus, et praeterea non solum ut imaginibus Dei, sed ut imaginibus creaturarum, solis aut lunae. Unde patet quod non est simile.

Ad tertium dicendum, quod Apostoli multa traderunt quae scripta non sunt in canone, inter quae unum est de usu imaginum (1); unde Damascenus dicit (de Fide orth. lib. 4, cap. 17), quod Lucas depinxit imaginem Christi et beatae Virginis, et Christus suam imaginem Abagaro Regi direxit, ut dicitur in ecclesiastica historia (lib. 1, cap. 13). Fuit autem triplex ratio institutionis imaginum in Ecclesia. Primo ad instructionem rudium, qui eis quasi quibusdam libris edocebant. Secundo ut incarnationis mysterium et sanctorum exempla magis in memoria essent, dum quotidie oculis repraesentantur. Tertio ad excitandum devotionis affectum qui ex visis efficacius incitatur quam ex auditis.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod cum beata Virgo sit per se quaedam persona agens, ei debetur honor per se; unde alia adoratione adoratur quam filius ejus; unde non potest adorari laetia, sed dulcia. Quia tamen non solum honoratur ratione sui, sed etiam ratione filii, ut mater Dei; ideo in quantum pertinet ad Christum, honoratur hyperdulia.

Ad primum dicendum, quod honor matris refertur ad filium, non sicut ad subiectum, scilicet ut sit unus motus in matrem et in filium, sicut est in imaginibus, sed refertur in filium sicut in finem, quia propter filium mater honoratur.

Ad secundum dicendum, quod Deus est Dominus et Rex quasi Creator, sed virgo non est creatrix, sed quasi Creatoris mater; unde non oportet quod laetia adoretur.

(1) Nicolai. Unde multi veteres historici, ut Theodorus Lector, lib. 1 Collectaneorum, num. 1, tom. 7, Bibliothecae Patrum, et Metaphrastes in vita S. Lucae, ac alii deinceps narrat, et expressit Commentarius Damasceni dicit etc. In notis vero. Non sicut prius, Damascenus, qui tantum Abagari meminit (lib. 4 de Fide orth., cap. 17, ac ut ex historia quadam refert, et apud Eusebium lib. 4, cap. 45, vel ult.

Ad tertium dicendum, quod incorruptio quae opponitur incinerationi, debetur Christo etiam ratione carnis quam assumpsit de Virgine, non autem laetia; et ideo non est similis ratio.

Solutio IV. Ad quartam quaestionem dicendum, quod crux Christi, etiam ipsa in qua Christus pendit, potest dupliciter considerari; vel in quantum crucifixi imago, et sic adoratur eadem adoratione sicut crucifixus, scilicet laetia; unde eam alioquimur sicut crucifixum, dicentes (1): *O crux ave spes unica*; vel in quantum est res quaedam, et sic eum non pertineat ad personam Verbi sicut pars ejus, non potest eadem adoratione adorari cum Verbo, sed adoratur in quantum est res quaedam Christi ratione ipsius, hyperdulia; sed aliae cruces non adorantur nisi ut imago; et ideo adorantur tantum laetia.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis caelum sit sedes Dei, non tamen unitum est Deo in persona, sicut caro Christi; unde caelum nec laetia nec hyperdulia honoratur, nec etiam dulcia, eum non sit res viva; sed humanitas Christi vel laetia vel hyperdulia adoratur, et similiter ea quae ad humanitatem Christi referuntur, ut crux, et vestis et hujusmodi.

Ad secundum dicendum, quod crux, in quantum est res quaedam in se considerata, est indignior homine, nec ratione sui adoratur; sed ratione alterius qui in ea crucifixus est.

Ad tertium dicendum, quod si consideretur honor qui exhibetur cruci in quantum est res quaedam, ratione Christi, non est tantus quantus ille qui exhibetur Virgini; sed cruci exhibetur quidam honor, in quantum est imago, qui non exhibetur matri.

Solutio V. Ad quintam quaestionem dicendum, quod Deus est principium et finis omnium; et in quantum est principium, adoramus eum laetia; in quantum vero finis ultimus, fruimur eo. In redeundo autem ad ipsum juvamus per alias creaturas rationales, scilicet Angelos et homines; et ideo, quamvis solo Deo fruendum sit, tamen possumus frui homine in Deo, sicut dicit Apostolus (Rom. 13), et Augustinus (de Doctrina christi. lib. 1, cap. 52 et 55). Sed in redeundo ab ipso sicut a principio creante, non juvamus per aliquam creaturam, quia immediate creavit nos; et ideo honor laetiae est sibi soli exhibendus, non alicui in ipso, quantumcumque sit in participatione suae bonitatis, nisi honoretur uno honore eum eo, sicut caro Christi, et imagines.

Ad primum ergo dicendum, quod viri sancti per participationem illam non efficiuntur primum principium nostri esse; et ideo non debetur eis laetia.

Ad secundum dicendum, quod homines sunt imagines Dei per participationem suae bonitatis, facientem expressam similitudinem, et hoc dat rei bonitatem in se; et ideo ratio hujus est res ipsa secundum se honoranda. Sed imagines pictae non sunt imagines per similitudinem in natura, sed per institutionem ad significandum; unde et ex hoc non acquiritur eis nisi honor relatus ad alterum.

(1) Ex pervertuto hymno qui incipit: *Vexilla regis prodeunt*, et quem inter opera Venantii Fortunati recenset, corpus Poetarum integre metro quam nunc in Ecclesia recitatur. Est et in hymnis Ambrosii nomine praenotatis, hymno 47, cum eadem corruptione metri quam praeposterus usus introduxit (Ex edit. P. Nicolai).

Ad tertium dicendum, quod Angeli illi non apparuerunt Abrahae in propria natura, sed in quibusdam corporibus quasi imaginibus assumptis; unde inquantum erant imagines repraesentantes Trinitatem, poterant adorari latría; non autem inquantum repraesentabant Angelos ipsos.

Solutio VI. Ad sextam quaestionem dicendum, quod cum creaturae non sit exhibenda latría, si exhibetur ei, est exhiberi eam cui non est exhibenda: et hoc facit vitium contrarium latría: sicut superfluum medio: unde sine peccato fieri non potest.

Ad primum ergo dicendum, quod Joannes volebat adorare Angelum dulia, sed prohibitus fuit propter tria. Primo ad ostendendum dignitatem ipsius Joannis, qui multis Angelis dignior fuit; secundo ad evitandum speciem idolatriae; tertio ad ostendendum exaltationem humanae naturae super Angelos in homine assumpto.

Ad secundum dicendum, quod qui adorat hostiam non consecratam, adorare eam oportet cum conditione, scilicet si est consecrata. Non tamen oportet quod haec conditio semper sit actu explicita, sed sufficit quod habitu teneat illam; unde non peccat adorans eam, quia non adorat puram creaturam, sed Christum secundum intentionem suam. Sacerdos autem, quantum in se est, facit populum idolatrarum, quia offert ei puram creaturam ad adorandum.

Ad tertium dicendum, quod non potest diabolus in specie Christi apprensus sine peccato adorari, nisi sit conditio actu explicita: non enim sufficit solo habitu: quia ipsa novitas rei insolita, considerationem et attentionem requirit; sicut dicitur de beata Virgine Luc. 1, quod cogitabat qualis esset illa salutato.

Solutio VII. Ad septimam quaestionem dicendum, quod quocumque aliquid nomen imponitur alicui actui vel accidenti secundum quod determinatur ad aliquid unum, non potest dici de alio nisi improprie vel metaphorice: sicut simitas imponitur curvitate nasi; unde non potest dici, quod crux sit simum, vel lignum quod est curvum, nisi metaphorice. Similiter cum latría sit nomen impositum servituti divinae, non potest quaecumque alia servitus alteri exhibita dici latría nisi improprie vel metaphorice; unde latría non dicitur univoce de cultu Dei veri et de idolatria.

Ad primum ergo dicendum, quod materia quae includitur in ratione speciei, bene diversificat speciem, et impedit univocationem, sicut patet in exemplo posito de curvitate nasi; et ita est in proposito.

Ad secundum dicendum, quod hoc nomen *beatitudo* significat aliquid propter quod omnia alia sunt eligenda, et ipsum propter se tantum eligatur omni boni sufficientiam habens, sine hoc quod concernat aliquam materiam; et ideo semper remanet beatitudo (1) univoce dicta, quamvis in diversis rebus quaeratur. Sed non est sic in proposito, quia nomen latríae materiam concernit.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur, quod idolatria sit cultus Deo debitus idolo exhibitus, hoc quod dicitur, idolo exhibitus, dimittit de ratione praecedenti; unde non sequitur: Ergo est latría: sicut aratio dicitur scissio quae debetur terrae: si

(1) *Al. habitudo.*

quis autem vomere scindit aquam, illa scissio est terrae debita, non tamen dicitur aratio nisi aequivoce.

ARTICULUS III.

Utrum latría debeat Deo ratione potentiae, an sapientiae ac bonitatis.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod latría debeat Deo ratione potentiae. Servitus enim dominium respicit. Sed Deus dicitur Dominus propter potentiam coercendi subditam creaturam, ut dicit Boetius (de Trinitate, cap. 11). Cum igitur latría sit servitus, videtur quod debeat Deo ratione potentiae.

2. Item, videtur quod ratione sapientiae. Debetur enim Deo latría inquantum est Deus. Sed Deus, secundum Damascenum (de Fide lib. 5, cap. 5), dicitur ex hoc quod omnia videt, quod ad sapientiam pertinet. Ergo videtur quod debeat Deo latría ratione sapientiae.

3. Item, videtur quod ratione bonitatis. Quia latríam ei exhibemus, inquantum ab ipso sumus. Sed quia bonus est, sumus, ut dicit Augustinus (lib. 1 de doctrina christi, cap. 52). Ergo latría debetur ei ratione bonitatis.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod alia latría debeat Patri et alia Filio. Latríam enim debet fides. Sed fides alium articulum habet de Patre, et alium de Filio. Ergo alia latría est utrique exhibenda.

2. Praeterea, honor, ut dictum est, debetur personae agenti. Sed Pater et Filius sunt duae personae. Ergo duplex honor eis debetur.

3. Praeterea, humanitati Christi exhibetur unus honor qui et Verbo. Sed non potest hoc intelligi, ut videtur, ratione naturae: quia naturae distinctae sunt. Ergo intelligitur ratione personae. Sed alia est persona Patris, alia Filii. Ergo et alius honor debetur utrique.

Sed contra, remota distinctione personarum, adhuc debetur Deo latría. Ergo debetur ei ratione naturae. Sed natura est una. Ergo et latría est una.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod non debeat Deo exhiberi latría secundum aliquos corporales ritus. Sicut enim dicit Apostolus ad Galat. 4, homines in veteri lege sub elementis huius mundi servientes, erant quasi pueri sub paedagogio positi. Sed, sicut ipse dicit, veniente plenitudine temporis iam non sumus sub paedagogio. Ergo non debemus Deo latríam exhibere secundum corporales ritus.

2. Praeterea, Joan. 4, 24, dicitur: *Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Ergo non oportet quod eum adoremus corporalibus actibus, vel genuflectendo vel cantando.

3. Praeterea, Deus ubique est. Ergo non magis debemus ad orientem adorare quam ad aliam partem.

Sed contra, nos et spiritum et corpus habemus a Deo. Sed secundum hoc quod ab eo sumus eum adoramus. Ergo et spiritualiter et corporaliter eum debemus adorare.

Solutio I. Respondeo dicendum, ad primam quaestionem, quod latría proficitur servitutum quam debemus Deo, quia fecit nos; unde debetur sibi

latría inquantum creator, secundum quod ipse est finis et origo prima nostri esse; et hoc est quod dicit Glossa super illud Psalm. 7: *Domine Deus meus, in te speravi: (1) « Deus per creationem, cui latría debetur. »* Et quia ipse creator est, inquantum bonus, sapiens et potens, et secundum omnia huiusmodi; ideo ratione omnium debetur sibi latría, et non secundum unum horum tantum.

Unde patet responsio ad obiecta.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod quia Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt unus creator, ideo debetur eis una latría; cum Deo debeat latría inquantum creator.

Ad primum ergo dicendum, quod fides debetur Deo, inquantum est res cogitabilis; et quia quaecumque secundum rem distinguuntur, possunt seorsim cogitari, sed non convertitur; ideo tres personae, quae sunt tres res diversae, diversos fidei articulos habent: sed omnes tres personae suae sunt unus creator: unde et una latría eis debetur.

Ad secundum dicendum, quod natura divina est per se subsistens, etiam circumscriptis personis distinctis quas fides supponit; unde agere competit ei et circumscripta distinctione personarum, et per consequens latría.

Ad tertium dicendum, quod quamvis duae naturae sint distinctae secundum se, tamen sunt unitae in persona; et quia unus honor debetur divinae naturae et personae; ideo per consequens unus honor debetur divinae naturae et humanae, cui debetur unus honor qui et personae divinae.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod in nobis est triplex bonum; scilicet spirituale, corporale, et extrinsecum; et quia haec omnia in nobis a Deo sunt, ideo secundum omnia debemus Deo latríam exhibere: et secundum spiritum exhibemus ei debitam dilectionem; secundum corpus prostrationes et cantus; secundum exteriora autem, sacrificia, luminaria, et huiusmodi: quae Deo non propter ejus indigentiam exhibemus, sed in recognitionem quod omnia ab ipso habemus: et sicut eum ex omnibus recognoscimus, ita etiam eum ex omnibus honoramus.

Ad primum ergo dicendum, quod corporalia erant in veteri lege pure corporalia, quia gratiam non continebant; erant tamen signa spiritualium: sed corporalia quae nos Deo exhibemus non sunt pure corporalia; sed sunt sacramenta continentia gratiam, et sacramentalia. Unde non est simile de nova et veteri observantia.

Ad secundum dicendum, quod quamvis Deus sit spiritus, et tamen creator corporis; et ideo principaliter ei in spiritu servire debemus; secundario autem in corpore; et ideo etiam vocaliter oramus, ut sibi non solum spiritus, sed etiam lingua carnis obsequatur, ut nos ipsos et alios ad laudem Dei excitemus.

Ad tertium dicendum, quod quamvis Deus ubique sit, tamen institutum est ab Ecclesia ut sacrificium Missae ei offeratur versus orientem, propter tria. Primo propter significationem: quia a Deo est nobis mentis illuminatio, sicut lumen corporale ab oriente. Secundo, quia est nobilior pars orbis; et omne quod est nobilior apud nos, Deo debemus. Tertio, propter operam quaedam notabilia ipsius in oriente: quia ipse movet caelum, cujus

(1) *Nicolaus addit scilicet.*

motus ab oriente incipit; ipse etiam paradisum in oriente constituit; ipse etiam ab oriente ad iudicium veniet, sicut ad orientem ascendit.

QUAESTIO II.

Deinde quaeritur de dulia; et circa hoc quaeruntur tria: 1.º quid sit; 2.º utrum habeat diversas species; 3.º cui debeat.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum latría et dulia sint idem.
(2-2, qu. 105, art. 5.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur, quod dulia sit idem quod latría. Deo enim non debetur nisi unus honor. Sed debetur ei dulia et latría, sicut dicit Glossa super illud Psalm. 7: *Domine Deus meus, in te speravi. « Dominus omnium per potentiam; cui debetur dulia: Deus omnium per creationem, cui debetur latría. »* Ergo dulia et latría sunt idem.

2. Praeterea, eadem virtus caritatis est qua diligitur Deus, et proximus. Sed latría honoratur Deus, dulia proximus. Ergo est eadem virtus.

3. Praeterea, differentia secundum materiam non diversificat speciem, ut dicitur 10 Metaphys. (text. 14). Sed honor qui debetur Deo et proximo non differunt nisi secundum materiam. Ergo non sunt diversi in specie; et sic idem quod prius.

4. Praeterea, magis et minus non diversificat speciem. Ergo quamvis sit Deus magis honorandus quam proximus, non propter hoc sunt diversae species.

Sed contra, sapientia et scientia sunt diversa dona: quia unum est de aeternis, alterum de temporalibus. Ergo simili ratione latría et dulia sunt diversae virtutes.

Praeterea, habitus distinguuntur per actus, et actus per objecta. Sed dulia et latría habent diversa objecta. Ergo sunt diversae virtutes.

Solutio. Respondeo dicendum, quod honor debetur alicui ratione excellentiae quae in ipso est. Non est autem unius rationis excellentia divina et humana, et ideo non est honor unius rationis. Unde oportet quod latría et dulia differant specie.

Ad primum ergo dicendum, quod dulia, quantum ad proprietatem vocabuli, dicitur servitutum communiter, etiamque debeat Deo: et quia Deo debetur honor vel servitus secundum modum perfectionem; ideo nomen duliae commune contrahitur et quodammodo appropriatur ad honorem creaturae, quia non addit aliquam differentiam ad dignitatem pertinentem supra commune; sicut nomen proprium contrahitur ad conversum accidentale; conversum autem essentiale proprio nomine dicitur definitio. Et quia in Deo est omnis ratio honoris qui invenitur in creatura, sed non convertitur; ideo latría debetur sibi secundum id quod est sibi proprium; dulia autem secundum id quod est commune sibi et creaturae per analogiam.

Ad secundum dicendum, quod obiectum caritatis, cum sit virtus theologica, est bonitas divina, quae eadem est, sive in se, sive in altero consideretur; et ideo dilectio Dei et proximi ad unam virtutem pertinent. Sed honor exhibetur excellentiae absolutae, quae non est unius rationis in Deo et creaturis, sed variatur.

Ad tertium dicendum, quod haec non est tantum materialis differentia, sed formalis: quia alia ratio reverentiae et honoris invenitur in Deo et in homine, et ideo causatur diversitas secundum speciem. Ad quartum dicendum, quod magis et minus non causant diversitatem secundum speciem, sed aliquando consequuntur eam, quando scilicet magis et minus causantur ex diversitate eorum quae speciem diversificant.

ARTICULUS II.

Utrum dulia habeat diversas species.
(2-2, qu. 103, art. 4.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur, quod dulia non habeat diversas species. Dulia enim dividitur contra latrām. Sed latrā non dividitur per species. Ergo nec dulia.

2. Praeterea, dulia attendit bonitatem vel excellentiam creatam. Sed hoc invenitur in omnibus communiter quibus debetur dulia. Ergo non habet diversas species.

3. Praeterea, sicut dulia respicit debitum honoris; ita obedientia debitum praeepti. Sed obedientia non differt specie secundum diversos quibus debetur. Ergo nec dulia.

4. Praeterea, cum dulia debeatur diversis secundum infinitos gradus excellentiae, si secundum diversos quibus debetur, species diversas haberet, essent infinitae species duliae. Sed hoc est impossibile. Ergo dulia non habet plures species.

Sed contra, dulia debetur Deo et creaturae, ut ex dictis, art. 1, patet. Sed non est eadem ratio honoris in utroque. Ergo est ibi diversa species duliae.

Praeterea, dulia exhibetur rebus inanimatis, sicut cruci, et reliquiis, et etiam hominibus. Sed in his non potest esse una ratio honoris. Ergo dulia habet diversas species.

Solutio. Respondeo dicendum, quod habitus diversificantur per actus, et actus per objecta; unde ubi invenitur diversa ratio objecti, oportet quod sint actus et habitus specie differentes. Cum ergo honor debetur alicui ratione excellentiae quam habet, et non sit ejusdem rationis excellentia in diversis; ideo oportet quod sit alia ratio honoris, et alia virtus (1) secundum speciem, quae diversos honores exhibet: non enim idem honor debetur patri, regi et magistro, et sic de aliis, ut dicit Philosophus in 9 Ethic. (cap. 2). Inter omnes autem alias rationes excellentiae illa est praecipua qua creatura honoratur ratione unionis ad Creatorem, sicut humanitas Christi, et quae ad ipsam pertinet; et ideo speciali nomine hyperdulia nominatur, quasi superdulia (2) ad latrām accedens.

Ad primum ergo dicendum, quod excellentia Creatoris est unius rationis; et ideo latrā, quae hoc attendit, est una tantum. Nec est simile de dulia, cum in creaturis sint diversae rationes excellentiae.

Ad secundum dicendum, quod excellentia creata non est unius rationis in specie, licet sit una secundum genus; et ideo etiam dulia per species dividitur.

(1) Al. virtutis.

(2) Al. super dulam.

Ad tertium dicendum, quod obedientia respicit dominum, secundum hoc quod servus est quasi instrumentum domini, et movetur ad imperium ejus. Sed dulia non considerat rationem unam excellentiae tantum, sed omnes.

Ad quartum dicendum, quod gradus excellentiae possunt accipi dupliciter: vel secundum quantitatem tantum; et sic sunt infiniti, et non diversificant speciem duliae; vel secundum rationem, et sic diversificant, et non sunt infiniti.

ARTICULUS III.

Utrum peccatores debeant honorari dulia.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur, quod peccatores non debeant honorari dulia. Honor enim duliae, ut dicit Philosophus (in 1 Ethic., cap. 12), est reverentia exhibitā alicui in testimonium virtutis. Sed peccatores, etiam praelati, non habent virtutem. Ergo qui eos honorant, falsum testimonium perhibent, quod est peccatum.

2. Praeterea, Gregorius in Pastor. (Part. 1, cap. 2) dicit, quod in exemplum culpae vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Hoc autem fieri non debet ut in exemplum culpa trahatur. Ergo neque praelatus peccator debet honorari.

3. Praeterea, subditus bonus magis est Deo similis quam praelatus malus. Sed honor non exhibetur homini, nisi in quantum habet Dei similitudinem: quia rebus divinis tantum debetur honor, ut dicit Philosophus (1 Ethic., cap. 12). Ergo minus honorandus est praelatus malus quam subditus bonus.

4. Sed contra est quod Abraham honoravit peccatores habitantes in Sichem, quando voluit emere speluncam duplicem.

5. Item, videtur quod daemonibus dulia debet exhiberi. Quia in eis manet divina imago: quia bona naturalia eis data manent lucidissima, ut dicit Dionysius (de div. Nom., cap. 4). Sed ratione imaginis, homini dulia exhibetur. Ergo et daemones est exhibenda.

6. Item, videtur quod irrationalibus. Quia in eis est vestigium, quod est similitudo Dei, sicut imago, etsi non adeo expressa. Magis autem et minus non diversificant speciem. Ergo debetur eis dulia.

7. Sed contra, videtur quod nec etiam hominibus bonis; quia dulia servitus est. Sed non hominibus servitatem debemus. Ergo nec dulam.

Solutio. Respondeo dicendum, quod dulia reverentiam et honorem importat quae creaturae exhiberi potest. Cum autem honor ut dicit Philosophus (1 Ethic., cap. 12), non debeatur nisi rebus divinis, non debetur proprie et directe nisi habenti gratiam et virtutem, quae divinos facit. Sed habet aliquis virtutem multipliciter: vel sicut actu virtuosus; et huic directe debetur et proprie et secundum se honor: vel sicut habens aptitudinem naturalem ad virtutem; et sic cuilibet habenti imaginem est exhibendus honor, nisi sit confirmatus in malo, quia ligatus est in illo ordo ad virtutem: vel sicut ordinatus ad inducendum vel conservandum virtutem; et sic debetur omnibus praelatis, qui ad hoc ordinati sunt ut alios dirigant in virtutem.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatores quamvis non habeant virtutem in actu, tamen habent in habitate; et praelati habent etiam in hoc quod sunt ordinati ad ipsam causandam, vel conservandam.

Ad secundum dicendum, quod praelato, dum est in actu peccati, non debet exhiberi dulia, quia apparet in eo aliquid honoris contrarium: sed ante vel post sibi dulia debet exhiberi, quia nescitur in quo statu sit.

Ad tertium dicendum, quod subdito bono debetur secundum se major reverentia; sed ratione praelationis debetur major malo praelato. Et est triplex ratio: primo, quia praelatus gerit vicem Dei, unde Deus in ipso honoratur; secundo, quia ipse est persona publica, et honoratur in ipso bonitas Ecclesiae vel Republicae, quae est major quam merita unius singularis personae; tertio, quia praelatio se habet ad virtutem sicut causa efficiens in aliis virtutem; et dignus est alterius virtutis causam existere, in quantum huiusmodi, quam virtuosum esse, ut dicit Philosophus (9 Ethic., cap. 8, vel 9).

Quartum concedimus.

Ad quintum dicendum, quod in daemonibus est ligata aptitudo naturalis ad virtutem; et ideo non debet eis dulia exhiberi.

Ad sextum dicendum, quod similitudo vestigii non ponit aptitudinem ad virtutem, sicut similitudo imaginis; et ideo dulia non debetur ei.

Ad septimum dicendum, quod sanctis non servimus quasi obnoxii eis, sed servitute reverentiae;

DISTINCTIO X.

An Christus, secundum quod homo, sit persona, vel aliquid.

Solet etiam quaeri a quibusdam, utrum Christus, secundum quod homo, sit persona, vel etiam sit aliquid. Ex utraque parte quaestionis argumenta concurrunt. Quod enim persona sit, his edisserunt rationibus. Si secundum quod homo aliquid est; vel persona, vel substantia, vel aliud est. Sed aliud non. Ergo vel persona, vel substantia. Sed si substantia est, vel rationalis, vel irrationalis. Sed non est irrationalis substantia. Ergo rationalis. Si vero, secundum quod homo, est rationalis substantia, ergo personae: quia haec est definitio personae: Substantia rationalis individuae (1) naturae. Si ergo, secundum quod homo, est aliquid, et secundum quod homo persona est. Sed e converso, si secundum quod homo persona est, vel tertia in Trinitate persona, vel alia. Sed alia non. Igitur tertia in Trinitate persona. At si, secundum quod homo, persona est tertia in Trinitate, ergo Deus. Propter haec inconvenientia, et alia, quidam dicunt Christum secundum hominem non esse personam, nec aliquid, nisi forte secundum sit expressivum unitatis personae. Secundum enim multiplicem habet rationem. Aliquando enim exprimit conditionem vel proprietatem naturae divinae vel humanae; aliquando unitatem personae; aliquando notat habitum; aliquando causam. Cujus rationem distinctionis diligenter lector animadvertat, atque in sinu memoriae recondat, ne ejus confundatur sensus, cum de Christo sermo occurrat.

Etsi Christus, secundum quod homo, dicatur esse substantia rationalis, non inde tamen sequitur quod persona sit secundum quod homo.

Illud tamen non sequitur quod in argumentatione superiorum inductum est, quod si Christus, secundum quod homo, est substantia rationalis, ergo persona. Nam et modo anima

(1) Nicolai individua rationalis.

quia sunt nostri ductores vel per doctrinam, vel per administrationem, vel per intercessionem et exemplum; et salvator in hoc ratio servitutis quantum ad hoc quod est causa alterius agere, sicut finis; non autem sicut moventis per coactionem vel imperium.

Expositio textus.

In dilectione, sacrificii exhibitione, et reverentia. Dilectio refertur ad honorem interiore Deo exhibitum; sacrificia ad bona exteriora quae in ejus honorem assumuntur; reverentia, secundum quod corpus nostrum ei in obsequium datus, sicut in prostrationibus, et huiusmodi.

Una adoratione cum incontaminata carne ejus. Ergo videtur quod Filius sit magis adorandus quam Pater vel quam ipsemet ante incarnationem. — Dicendum, quod humanitas ejus non adoratur latrā nisi propter divinitatem; et ideo non facit ipsam magis adorabilem, sed plura in ipso adorari; quia hoc quod additur, ut supra dictum est, non addit ad bonitatem divinam.

Nemo carnem ejus manducat, nisi prius adoret. Loquitur de manducatione spirituali, quae sine reverentia esse non potest: non autem de sacramentali, quia potest aliquis irreverenter manducare. Vel dicendum, quod loquitur quantum ad id quod debet fieri secundum institutionem Ecclesiae, quae prius proponit carnem Christi adorandam quam tribuat manducandam; et non secundum quod abusive potest fieri.

Christi est substantia rationalis, non tamen persona: quia non est per se sonans, immo alii rei conjuncta. Illa tamen personae descriptio non est data pro tribus illis personis.

Alia probatio quod Christus sit persona.

Sed adhuc aliter nituntur probare, Christum secundum hominem esse personam, quia Christus, secundum quod homo, praedestinatus est ut sit Filius Dei. Sed illud est quod ut sit praedestinatus est. Ergo si praedestinatus est Christus, secundum quod homo, ut sit Filius Dei; et secundum quod homo est Filius Dei. Ad quod dici potest, Christum esse id quod ut sit praedestinatus est. Est enim praedestinatus ut Filius Dei sit, et ipse est vere Filius Dei; sed secundum hominem praedestinatus est ut sit Filius Dei, quia per gratiam hoc habet secundum hominem; nec tamen secundum hominem est Filius Dei, nisi forte a secundum unitatis personae sit expressivum; ut sit sensus: Ipse qui homo est, est Filius Dei. Ut autem ipse ens homo sit Filius Dei, per gratiam habet. Sed si causa notetur, falsum est; non enim quo homo est, eo Dei Filius est.

An Christus sit adoptivus filius, secundum quod homo, vel alio modo.

Si vero quaeritur, an Christus sit adoptivus filius, secundum quod homo, an alio modo; respondemus, Christum non esse adoptivum filium aliquo modo, sed tantum naturalem: quia natura Filii est, non adoptionis gratia. Non autem sic Filius dicitur natura, ut dicitur Deus natura. Non enim eo Filius est quo Deus: quia proprietate nativitatis Filius est, natura Divinitatis Deus est: et tamen dicitur natura, vel naturae Filius, quia naturaliter est Filius, eandem scilicet habens naturam quam ille qui genuit. Adoptivus autem filius non est, quia non prius fuit, et postmodum adoptatus est in filium; sicut nos dicimur adoptivi filii, quia cum nati fuerimus irae filii, per gratiam facti sumus filii